



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

4 Vtrum poßint corrumpi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

Respondeo dicendum, quod quia vnumquodque agit, in quantum est ens actu, consequens est, quod vnumquodque, sicut se habet ad esse, ita se habeat ad agere. Quia igitur secundum predicta, species sacramentalibus datur est diuina virtute, ut remaneant in suo esse, quod habebant substantia panis & vini existente, consequens est, quod etiam remaneant in suo agere. Et ideo omnem actionem, quae in poterant agere, substantia panis & vini existente, possunt etiam agere, substantia panis & vini transiente in corpus & sanguinem CHRISTI. Vnde non est dubium, quod possunt immutare exteriora corpora.

Ad primum ergo dicendum, quod species sacramentales, licet sint formae sine materia existens, retinent tamen idem esse, quod habebant prius in materia. Et ideo secundum suum esse assimilantur formis, quae sunt in materia.

Ad secundum dicendum, quod ita actio formae accidentalis dependet ab actione formae substantialis, sicut esse accidentis dependet ab esse substantialis. Et ideo, sicut diuina virtute datur species sacramentalibus, ut possint esse sine substantia, ita datur eis ut possint agere sine forma substantiali, virtute Dei, a quo sicut a primo agente, dependet omnis actio formae, & substantialis & accidentalis.

Ad tertium dicendum, quod immutatio, quae est ad formam substantialem, non fit a forma substantiali immediate, sed mediante qualitatibus actibus, & passibus, quae agunt in virtute formae substantialis. Haec autem virtus instrumentalis conseruatur in speciebus sacramentalibus diuina virtute, sicut & prius erat. Et ideo possunt agere ad formam substantialem instrumentali. Per quem modum aliquid potest agere ultra suam speciem, non quasi virtute propria, sed virtute principalis agentis.

COMMENTARIVS.

Respondeo D. Thomas, species separatas posse habere omnem actionem, quam in substantiis panis & vini habere possent, & ratio eius est, quia retinent idem esse, subintelligendum vero est, retinere illud cum modo suo naturali ad actionem physicam accommodato, nam etiam corpus Christi habet suum esse, & tamen non potest naturaliter habere omnem actionem suam: quia non habet illud modo accommodato ad augendum, hoc autem nunc distincte explicuit D. Thomas, quia per se facile erat ex precedentibus articulis, quantitas enim non est principium agendi, sed sustentat qualitates, quae sunt actionum principia: quod aliter autem, vt diximus, non mutant existendi modum: & quamuis mutarent, quoad inhaerentiam, ita, vt per se essent, hoc non posset impedire actionem: tum quia modus per se existendi est satis accommodatus ad agendum: tum quia in humanitate Christi nihil impedit eius actiones, quod non in se subsistat, sed in Verbo vltimo, conclusio intelligenda est de illis actionibus, quarum principia adaequata sunt accidentia: Nam, si quae est actio, ad quam praeter concursum accidentis requiratur immediatus concursus formae substantialis, aliter erit de illa philosophandum, vt in sequente disputatione dicemus, vbi explicabimus solutiones ad secundum & tertium, in quibus hoc D. Thom. tetigit.

ARTICVLVS IV.

Vtrum species sacramentales possint corrumpi.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod species sacramentales corrumpi non possint. Corruptio enim accidit per separationem formae a materia. Sed materia panis non remanet in hoc sacramento, sicut ex supra dictis patet. Ergo huiusmodi species non possint corrumpi.

2. Praeterea, Nulla forma corrumpitur, nisi per accidens, corrupto subiecto: vnde forma per se subsistens incorruptibilis est. Suarez. Tom. 3.

sunt, sicut patet in substantiis spiritualibus. Sed species sacramentales sunt formae sine subiecto, ergo corrumpi non possunt.

3. Praeterea, Si corrumpuntur, aut hoc erit naturaliter aut miraculose. Sed non naturaliter, quia non est ibi assignare aliquod corruptionis subiectum, quod maneat corruptione terminata: similiter etiam nec miraculose, quia miracula, quae sunt in hoc sacramento, sunt virtute consecrationis, per quam species sacramentales conseruantur, non est autem idem causa consecrationis & corruptionis. Ergo nullo modo species sacramentales corrumpi possunt.

Sed contra est, quod sensu deprehenditur, hostias consecratas putrefieri & corrumpi.

Respondeo dicendum, quod corruptio est motus ex esse in non esse. Dicitur est autem supra, quod species sacramentales retinent idem esse, quod prius habebant, substantia panis & vini existente. Et ideo, sicut esse horum accidentium poterat corrumpi, substantia panis & vini existente: ita et potest corrumpi, illa substantia abeunte. Poterant autem huiusmodi accidentia primo corrumpi dupliciter: Vno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem, sicut per alterationem qualitatum, & augmentum, vel diminutionem quantitatis. Non quidem per modum augmenti, vel diminutionis, qui inuenitur in solis corporibus animatis (qualia non sunt substantia panis & vini) sed per additionem, vel diuisionem. Nam sicut dicitur tertio Met. per diuisionem vna dimensio corrumpitur, & sicut per additionem autem est conuerso, ex duabus fit vna. Et per hunc modum manifeste possunt corrumpi huiusmodi accidentia post consecrationem, quia & ipsa quantitas dimensura remanens potest diuisionem & additionem suscipere, & cum sit subiectum qualitatum (in sensibilibus (sicut dictum est) potest etiam esse subiectum alterationis earum, puta, si alteretur color aut sapor panis aut vini. Alio modo poterant corrumpi per accidens per corruptionem subiecti; & hoc modo possunt corrumpi etiam post consecrationem. Quamuis enim subiectum non remaneat, remanet tamen esse, quod habebant huiusmodi accidentia in subiecto, quod quidem est proprium, & conforme subiecto. Et ideo huiusmodi esse, potest corrumpi a contrario agente, sicut corrumpitur substantia panis vel vini, quae etiam non corrumpitur, nisi praecedente alteratione circa accidentia.

Distinguendum tamen est inter vtrumque modum harum predictarum corruptionum. Quia cum corpus CHRISTI & sanguis succedant in hoc sacramento substantia panis & vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium, quae non sufficeret ad corruptionem panis & vini, propter talem immutationem non desinit corpus & sanguis Christi esse sub hoc sacramento, siue fiat immutatio ex parte qualitatis (puta cum modicum immutatur color aut sapor panis vel vini) siue ex parte quantitatis, sicut cum diuiditur panis, aut vinum in tales partes, quod adhuc in eis possit saluari natura panis aut vini.

Si vero fiat tanta immutatio, quod fuisset corrupta substantia panis & vini, non remanet corpus & sanguis Christi sub hoc sacramento, & hoc siue ex parte qualitatum, sicut cum ita immutatur color & sapor, & alia qualitates panis & vini, quod nullo modo possint compati naturam panis aut vini, siue etiam ex parte quantitatis, puta, si pulueri-zeretur panis, vel vinum in tam minutas partes diuidatur, vt iam non remaneat species panis vel vini.

Ad primum ergo dicendum, quod ad corruptionem per se pertinet, quod auferat esse rei, vnde in quantum esse alicuius forma est in materia, consequens est, quod per corruptionem separatur forma a materia. Si vero huiusmodi esse non esset in materia: simile tamen ei, quod est in materia, posset per corruptionem auferri, etiam materia non existente, sicut accidit in hoc sacramento, vt ex dictis patet.

Ad secundum dicendum, quod species sacramentales, licet sint formae non in materia, habent tamen esse, quod prius in materia habebant.

Conclusio
D. Thom. est
species separatas
possunt posse
habere omnem
actionem, quam
in substantiis
panis & vini
habere possent.

1. ad 3. co.
2. ad 12. q.
2. ad 9. q.
2. ad 1. cont.
1. ad 1. q.
1. ad 2. q.

Art. 1. praec.

Art. 1. huiusmodi.

In cor. art.

Ad tertium dicendum, quod corruptio illarum specierum non est miraculosa, sed naturalis. Praesupponit tamen miraculum, quod est factum in consecratione, scilicet, quod illae species sacramentales retineant esse sine subiecto, quod prius habebat in subiecto sicut & ceteris miraculose illuminatus, naturaliter videt.

COMMENTARIUS.

Titulus art. duobus modis intelligi potest, primo indefinite, vtrum aliqua species sacramentales, & sic est facilis, nam sufficienter intelligitur, quoad qualitates, & hic sensus videtur consentaneus his, quae D. Thom. docet in art. 5. & 8. in quibus significat, quantitatem non corrumpi. Secundo potest intelligi titulus vniuersaliter de omnibus speciebus, & hunc sensum videtur indicare D. Thom. in progressu articuli: est autem difficultior propter quantitatem: abstrahamus ergo ab utroque sensu, & intelligamus, hanc quaestionem ad eum modum, quo quaestio praecedentis art. definita est, an scilicet, ita possint corrumpi accidentia separata, sicut poterant coniuncta, & hoc sensu intelligitur quaestio vniuersaliter de omnibus accidentibus. Huic autem sensui consentanea est responsio D. Thomae, scilicet, ita posse esse horum accidentium destrui sine substantia, sicut in substantia poterat, quam explicat D. Thom. distinguendo duplicem modum corruptionis, per se, & per accidens, & vtrique conclusioni applicando. De corruptione autem per se nulla est difficultas, neque in qualitatibus, quae per alterationem fiunt, & corrumpuntur, quae alteratio hic fieri potest media quantitate, vt subiecto: neque in quantitate ipsa, eo sensu, quem D. Thom. explicat, scilicet, non de propria corruptione, sed de diuisione solum, per quam continuum, vt sic, potest dici corrumpi: sic enim quantitas separata diuisibilis per se est, non minus, quam dum erat coniuncta. At vero de corruptione per accidens, quae est ad corruptionem subiecti, difficultus intelligitur conclusio, tam in qualitatibus quam in quantitate: in illis quidem, quia non habent aliud subiectum, nisi quantitatem: ergo non possunt per accidens corrumpi, nisi corrupta quantitate; haec autem corrumpi non potest: vt supra significatum est: vnde in quantitate separata, est difficultior hic modus corruptionis, quia illa non habet subiectum: non ergo potest corrumpi ad destructionem subiecti. Vnde vltimus est specialis difficultas circa rationem Diui Thomae, scilicet, haec accidentia posse per accidens corrumpi, quia licet non maneat subiectum, manet tamen idem esse accidentium: hoc enim non facis esse videtur, quia hoc genus corruptionis non oritur tantum ex ipso esse, vt sic, sed ex dependentia illius ad subiecto: ergo ablata hac dependentia, non poterit illud esse corrumpi illo genere corruptionis.

Respondetur discursum Diui Thomae, partim in philosophico principio, partim in Theologico fundari: supponit itaque ex philosophia, accidentia per accidens corrumpi ad corruptionem substantiae, quod absolute verum est, non descendendo ad omnia & singula accidentia, de quo hic Diuus Thomas nihil dicit. Deinde ex Theologia, quamuis in Eucharistia non sit substantia panis: Christi tamen corpus ita substitui loco illius, vt tantum diu conseruetur sub accidentibus, quoad in substantia panis conseruaretur, & e contrario ita definant accidentia, ablata praesentia corporis Christi, sicut definirant ablata substantia: atque hinc recte concludit non minus corrumpi posse hic accidentia per accidens, quam corrumpentur, praesente substantia; quia retinent idem esse, & quodammodo eandem dependentiam: quia licet non sit omnino eiusdem rationis, est tamen eiusdem proportionis quoad hoc, quod ablato corpore Christi, illa accidentia destruantur, quae destruerentur, ablata substantia panis. Vnde hanc corruptionem per accidens

non est necesse intelligi de ea, quae est ad corruptionem subiecti proprie & in rigore sumptam, sed, aut de tali subiecto, aut de eo, quod aliquo modo supplet vicem illius; & ita est sufficienter responsum ad omnes difficultates tactas. Quae vero accidentia hoc modo corrumpantur, an omnia, vel aliqua, hic Diuus Thomas discrete non explicat: Dicemus tamen disputatione sequente, post sequentium articulorum explicationem, in quibus aliud Diuus Thomas innuat. Et haec sufficiant etiam de solutionibus argumentorum.

ARTICVLVS V.

Vtrum ex speciebus sacramentalibus aliquid possit generari.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari. Quod enim generatur ex aliqua materia generatur. Ex modo enim nihil generatur, quamuis ex nihilo fiat aliquid per creaturam. Sed speciebus sacramentalibus non subest aliqua materia, nisi corpus CHRISTI, quod est incorruptibile. Ergo videtur, quod ex speciebus sacramentalibus non possit generari.

2. Praeterea, Ea, quae non sunt vnius generis, non possunt ex se inuicem fieri, non enim ex albedine fit linea. Sed accidens & substantia differunt genere. Cum ergo species sacramentales sint accidentia, videtur, quod ex eis non possit aliqua substantia generari.

3. Praeterea, Si ex eis generetur aliqua substantia corporea, illa substantia non erit sine accidente. Si ergo ex speciebus sacramentalibus generetur aliqua substantia corporea, oportet quod ex accidente generetur substantia & accidens, duo ex vno, quod est impossibile. Ergo impossibile est, quod ex speciebus sacramentalibus aliqua substantia corporea generetur.

Sed contra est, quod ad sensum videri potest, ex speciebus sacramentalibus aliquid generari, vel cineres, si comburantur, vel vermes, si putrescant, vel puerae, si conuertantur.

Respondeo dicendum, quod cum corruptio vniuersi generatio alterius, vt dicitur in primo de generatione, non est generatio ex speciebus sacramentalibus, aliquid generatur, cum corrumpantur, vt dictum est. Non enim sic corrumpuntur, vt omnino differant, quasi in nihilum redigantur, sed manuisse aliquid sensibile eis succedit. Quomodo autem ex eis aliquid generari possit, difficile est videre. Manifestum est enim, quod ex corpore & sanguine Christi, quae ibi reuerentur sunt, non generatur aliquid, cum sint incorruptibilia. Si autem substantia panis, aut vini remaneret in hoc sacramento, vel eorum materia facile esset assignare, quod ex eis generatur illud sensibile, quod succedit vt quidam posuerunt. Sed hoc est falsum, vt supra habitum est. Et ideo quidam dixerunt, quod ea, quae generantur, non sunt ex speciebus sacramentalibus, sed ex aere circumstante. Quod quidem multipliciter apparet esse impossibile. Primo, quia ex eo generatur aliquid, quod prius alteratum & corruptum apparet. Nulla autem alteratio vel corruptio prius apparuit in aere circumstante, vnde ex eo cineres, vel cineres non generantur. Secundo, quia natura aeris non est talis, quod ex eo per tales alterationes talia generentur. Tertio, quia potest contingere in magna quantitate hostias confectas a comburi, vel putrefieri, nec esset possibile tantum de corpore terreno ex aere generari, nisi magna & valde sensibilibus inspersione aeris facta. Quarto, quia idem potest accidere corporibus solidis circumstantibus, puta, ferro aut lapidibus, quae integra remanent post praedictorum generationem. Vnde haec posseto stare non potest, quia contrariatur eis, quod ad sensum apparet; Et ideo alij dixerunt, quod redus substantia panis & vini in ipsa corruptione specierum: & sic ex substantiis panis & vini

Conc. D. Th. est eodem modo posse corrumpi accidentia omnia separata, sicut & coniuncta subiecto.